

MISCELLANEA

DE STATUTIS MONIALIUM ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS

Die 11 Julii anni 1945 in festo sollemnitatis S. P. N. Norberti, S. Congregatio Religiosorum Statuta Monialium Ordinis Praemonstratensis decreto n° 82 — 44 R. 97 approbavit et confirmavit. Ordini enim incumberebat emandare et Codici iuris canonici accommodare suam legislationem simulque consuetudines Monialium Ordinis ¹⁾).

Proinde Capitulum Generale anni 1930 in sessione V statuit : « ... ut pro sororibus Ordinis nostri specialis Codex exaretur et substernatur sequenti Capitulo Generali ». Ratio huius decisionis patet : ét spiritus mere contemplativus secundi Ordinis, ét modus vivendi stricte claustralis, tam distant ab usibus primi Ordinis, ut vix Statuta Canonorum conveniri possint Sanctimonialibus.

Capitulo Generali anni 1934 Romae celebrato propositum est novum schema Statutorum Monialium, in quo varia ordinantur, relate ad fundamentum iuridicum, praesertim quoad regimen Monialium et earum dependentiam tum ab Ordinario loci, tum a Patre-Abbate, tum a Praeposito ; et in sessione III idem Capitulum Generale ordinavit : « ... ut novus codex integer pro monialibus et sororibus conficeretur ex schemate iam confecto et ex articulis Statutorum primi Ordinis, qui etiam ad moniales et sorores pertinent. Redactio huius codicis demandata fuit R. D. Praeposito Asceterii B. M. V. in Neerpelt sub revisione commissionis iam ad hoc constitutae... Quoad approbationem Statutorum Ordinis Secundi mens est Capituli, ut redactio praevia horum Statutorum submittatur Illustrissimo Abbati Generali cum Definitorio approbanda et S. Sedi submittenda ».

Propter nonnullas difficultates autem, quae etiam circa redactio-

1) Decretum S. Congregationis de Religiosis, 26 Junii 1918, A. A. S., X (1918), p. 290.

nem Statutorum primi Ordinis occurrerunt, in sequenti Capitulo Generali anno 1937 celebrato non adhuc definitivus textus Statutorum Monialium propositus est, sed in relatione sessionis IV huius Capituli Generalis legitur : « Codificatio definitiva Statutorum pro sororibus Ordinis nostri committitur Abbati Tongerloensi, qui illam quamprimum submittit Illustrissimo Domino Praemonstratensi cum suo Definitorio ». Non obstanti immani bello mundiali, Abbas Generalis H. Noots nihil neglexit, ut redactio illa definitiva, adiuvante in primis R. D. Em. Geudens, praeposito asceterii de Neerpelt, elaboraretur. Interim schema Statutorum primi Ordinis elaboratum est, quo factum est ut quaedam essent accommodanda. Correctores Romani etiam quasdam mutationes proposuerunt. Quibus introductis, laudata S. Congregatio de Religiosis textum authentice approbavit confirmavitque ²⁾).

In his Statutis Monialium usus et consuetudines, quae hucusque in Ordine viguerunt retentae sunt, exceptis quibusdam ordinationibus, a Codice I. C. aut usu contrario postulatis ³⁾).

Praemittuntur « Normae Generales » ad instar libri primi Codicis I. C., in quibus regulae generaliores continentur. Ita statutum 2 declarat : « Constat secundus Ordo domibus sui iuris, quibus immediate et per emissionem votorum religiosorum sollemnium et promissionem stabilitatis in loco perfecte sodales incorporantur ». Firmitas legislationis enuntiatur in stat. 6 : « Haec statuta suam vim unice hauriunt ex auctoritate Capituli Generalis et approbatione S. Sedis, nihilque in eis mutetur, addatur aut minuatur absque praevia eiusdem S. Sedis ac Capituli approbatione ». Insuper in hac parte verbum fit de interpretatione et dispensatione Statutorum.

Retenta antiquissima divisione legislationis Ordinis Praemonstratensis Statuta dividuntur in quattuor partes, « Distinctiones » dictas, quarum prima a stat. 16 ad stat. 215 tractat « De regimine Ordinis ». Hic praesertim notanda venit distinctio inter asceteria (domus) exempta, seu Patrem-Abbatem habentia et asceteria non exempta seu Patrem-Abbatem carentia. Domus exemptae per tramitem Patris-Abbatis, Abbatis Generalis et Capituli Generalis ad S. Sedem recurrunt, dum asceteria non exempta per curiam episcopalem altiore iurisdictionem appellant, quamvis exemptio monialium numquam sit totalis, qualis habetur pro regularibus. Hic status iuridicus

2) G. Van den Broeck, *Les Statuts des Moniales de l'Ordre de Prémontré* in *Revue des Communautés religieuses*, Louvain, 1946, pp. 75, 76.

3) A. Erens, *Les Sœurs dans l'Ordre Prémontré*, in *Analecta Praemonstratensia*, V (1929), pp. 5-26.

enuntiatur ex una parte in stat. 7 : « Omnes religiosas, quae sunt sub Patris-Abbatis potestate, novitiis non exclusis, cum earum domibus et ecclesiis, ab Ordinarii loci iurisdictione exemptae sunt, praeterquam in casibus a iure expressis, et salvis semper privilegiis Ordinis ». Ex alia parte in stat. 49 legitur : « Asceteria non exempta subduntur iurisdictioni Ordinarii loci, praeter casus in iure exceptos » et in stat. 50 additur : « Nullatenus licet Ordinario loci immutare Statuta a S. Sede approbata ».

Pater-Abbas, de quo pro monialibus exemptis verbum fit « ... est ille Abbas de regimine, ad hoc officium electus a monialibus ad normam iuris, recognitus autem a Domino Praemonstratensi, cuius officium immediate annectitur ad regimen canonicae et devolvitur ipso facto ad eius successores in regimine » (stat. 57). Praepositus monialium e contra est director spiritualis, quamvis in nonnullis casibus ut delegatus vel Ordinarii loci, vel Patris-Abbatis agere valeat.

Proprium regimen domus exemptae sicut et non exemptae est penes Priorissam : « Asceterio praeest Priorissa, quae ab omnibus religiosis, tanquam legitima Superiorissa habenda est, et in cuius persona Deus representatur et honoratur » (stat. 67). Eligitur ad 12 annos et adiuvatur in officio a Suppriorissa, Circatrice et variis officialibus, ut in primo Ordine. In hac « Distinctione » etiam ordinantur « Visitationes canonicae », quod munus incumbit et Ordinario loci, et Patri-Abbati : « Cum recta ordinatio Visitationis quam maxime conducat ad custodiam religiosae disciplinae, Pater-Abbas per se vel per alium, non autem per Praepositum, quandoque hoc expediens iudicaverit, asceterium ipsi subiectum visitare valet tertio saltem quoque anno. Idem ius pro omnibus asceteriis exemptis competit Abbati-Generali, ... Priorissa meminerit Ordinario loci ius esse visitare per se vel per alium, quinto quoque anno, monialium Monasteria ipsi immediate subiecta » (stat. 155-157).

Pars secunda Statutorum tractat « De Personis » inde a stat. 216 ad stat. 274. Hic notanda venit distinctio inter « Moniales cantantes », « Moniales conversas » et « Sorores externas ». « Moniales cantantes » aequiparari possunt clericis primi Ordinis, in quantum officio choralis destinantur et communitatem principalem in conventu efformant. Persolvunt « Moniales cantantes » sex menses postulatus, unum annum novitiatus, et tres annos professionis temporariae antequam emittunt vota sollemnia.

Cum « Moniales cantantes » principaliter cultui divino adscribantur, adsunt in unoquoque asceterio « Moniales conversae » intra

clausuram papalem degentes, quae magis operi manuali vacant. « Conversae » admittuntur ad professionem perpetuam eodem modo ac « Moniales cantantes ». Emittunt tamen tantum vota simplicia.

Demum consequenter ad clausuram papalem, unumquodque asce-terium habet « Sorores externas ». De ipsis notat n. 1 appendicis I Statutorum : « Sorores externae, utpote verae religiosae et membra communitatis cui inserviunt, iisdem ac Moniales fruuntur gratiis, privilegiis ac iuribus, et onerantur omnibus officiis, nisi ex ipsa rei natura, aut explicite vel aequivalenter ex infra notatis aliter appareat ». Hae sorores extra clausuram papalem degunt in parte domus ipsis proprie assignata, et n. 3 appendicis I statuit : « Non licet Sororibus externis clausuram papalem ingredi, nisi ad novitiatum canonicum ibi peragendum, aut interdum et ad tempus quo fieri poterit brevius ubi earum opera censeantur necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci, quod tamen numquam licet postulantis Sororum externarum ». Sorores externae peragunt postulatum unius anni et novitiatum duorum annorum ; deinde per sex annos emittunt vota annualia, quo termino elapso ad vota perpetua simplicia admittuntur.

Distinctio tertia Statutorum a stat. 275 ad stat. 459, tractat « De Observantiis regularibus ». Sicut Canonici, Moniales Praemonstratenses habent cultum liturgicum ut opus principale. Praepositus tenetur unoquoque die celebrare missam conventualem ; sicuti persolvendum est officium canonicum. Si « Monialis cantans » legitime a choro abest, tenetur sub gravi partem officii canonici omissam supplere. Praeter officium canonicum recitatur quotidie choraliter officium B. Mariae Virginis, exceptis tantum festis triplicibus et octavis festorum 1 classis.

Hac in parte etiam agitur de observantia votorum obedientiae, castitatis et paupertatis, ac de nonnullis aliis exercitiis spiritualibus. Notant Statuta relate ad refectionem : « Diebus, quibus non est ieiunandum, religiosae binam in die refectionem habeant... Mane autem liceat sumere frustulum panis » (stat. 366). Dies quibus ieiunium et abstinencia est servandum, sunt iidem qui in primo Ordine sunt in usu.

Habitus Monialum cantantium constat tunica talari, scapulari, cingulo, fasciis et amictorio pectorali albi coloris ; velum vero est nigri coloris pro professis, pro ceteris album. Conversae eodem habitu induuntur diebus dominicis et festivis, secus earum habitus est coloris grisei albicantis, cuius coloris est semper habitus Sororum externarum.

Moniales adstringuntur ad clausuram papalem, cuius normae admissim determinantur in stat. 439-441 : « Intra clausuram papalem nemo, cuiusve generis, conditionis, sexus vel aetatis admittatur sine licentia S. Sedis, exceptis.... Ordinario loci aut Superiore Ordinis eorumve delegatis, canonicam visitationem instituentibus... Praeposito ad ministranda Sacramenta infirmis, ad assistendum morientibus et ad benedicendum tumulum... Confessario... ad confessionem monialis aegrotae audiendam... S. R. E. Cardinales... » « Priorissa ingressum permittere potest aliis quorum opera sunt necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci... ».

« Egredi tamen licet 1° in die professionis perpetuae, professurae cum duabus assistentibus secundum caeremonias in libro Ordinario praefixas ; 2° casu imminenti periculi mortis vel alicuius gravissimi mali, ut sunt operatio chirurgica, causa incendii, leprae vel epidemiae, inundationis, famis, belli et similia ».

Demum relate ad distributionem temporis, religiosae persolvunt Matutinum cum Laudibus media nocte, hora 5 1/2 incipiunt meditationem per dimidiam horam pertractandam. Deinde cantatur Prima, Missa Conventualis et Capitulum. Porro hora 9 moniales cantant Tertiam et Sextam ; hora 11 sumunt prandium, cui sequitur Nona. Hora 2 cantantur Vesperae et hora 5 recitatur rosarium in communi. Demum hora 5 1/2 post meridiem datur coena et circa horam 6 1/2 cantatur Completorium. Bis in die habent religiosae moderatam recreationem circiter unius horae, et per diem regulariter in aula communi versantur, ubi occupantur variis laboribus et occupationibus.

Ultima Distinctio Statutorum agit « De Delictis et de Poenis », in qua etiam verbum fit de Dimissione religiosarum.

Tota legislatio comprehendit 505 statuta, quibus adiunguntur 35 numeri speciales ad Sorores externas spectantes. Hic appendix adiunctus est ex auctoritate Domini Praemonstratensis, prout enuntiatur in nota paginae 1 : « Ex praecepto S. Sedis, normae, quibus Sorores externae reguntur paucis tantum exceptis citationibus in decursu textus, reperiuntur ad calcem horum Statutorum in Appendice I, ubi referuntur Statuta, a Sororibus externis monasteriorum monialium cuiusque Ordinis servanda et a Sacra Congregatione de Religiosis, die 16 Iulii anno 1931 edita, legislationi Ordinis Praemonstratensis accommodata ».

Sub aspectu iuridico notandum est Praefationem Statutorum, Appendicem de Sororibus externis, Indicem analitico-alphabeticum et notas ad calcem paginarum non occurrere in textu authentice a S.

Congregatione approbato et consequenter ex auctoritate Ordinis tantum esse inducta.

Tongerloae, 2 Januarii 1947

G. Van den Broeck, O. Praem.

* * *

ROGGENBURG

EINE BAROCKMONSTRANZ (OSTENSORIUM) DER PRÄMONSTRATENSER -:- -:- -:- -:-

Die ehemalige Klosterpfarre Schiesen des Prämonstratenserstiftes Roggenburg in Bayern besitzt eine herrliche Barockmonstranz, die in ihrem Aufbau an die Prämonstratenser erinnert. Vom Fusse der Monstranz erhebt sich als Schaft die Figur des heiligen Norbert, der in Pontifikalkleidung, angetan mit einem herrlichen Messkleid mit erhobenen Händen den Glasbehälter mit dem Allerheiligsten emporhält. Der Glasbehälter wird gebildet durch die Halbfigur der Muttergottes, die gleichsam den eucharistischen Heiland in ihrem Schosse trägt. Um die Mitte und im weiteren Aufbau der Monstranz gruppieren sich mehrere Büsten unserer Ordensheiligen.

Der berühmte Kunsthistoriker P. Josef Braun s. J. (das Christliche Altargerät, S. 409) bemerkt, diese Art der Darstellung sei zwar gut gemeint, aber echt barock und wenig geschmackvoll, habe aber zu ihrer Zeit viel Beifall gefunden und komme in mehreren Monstranzen vor.

(Gesehen van Abt Heinrich Schuler von Wilten im Jahre 1941 anlässlich einer Reise zu einer Jubiläumsfeier in Mindelzell, einer ehemaligen Stiftspfarrer der Prämonstratenserabtei Ursberg in Bayern).

H. Schuler, Wilten.

* * *

PREMONSTRES INSCRITS A L'UNIVERSITE DE LOUVAIN PENDANT LES ANNEES 1453-1485.

Mr. Jos. WILS vient d'éditer dans les publications de la Commission Royale d'Histoire : *Matricule de l'Université de Louvain*. II. 1453-1485. Bruxelles 1946. In - 4°. Pag. 504.

Nous avons parcouru avec soin ce volume. Il s'agit de l'inscription